



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

174. An si quis absque causa meget Novitio professionem, peccet
mortaliter. Ex p. 7. tr. 11. & Misc. 2. res. 26.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

neque post Sanchez hanc sententiam docere ausus est; & ideo Sanchez nominatim impugnant Vecchius in *praxi Novitiorum disput. 1.2. dub. 1. numero 4.* Portel in *addit. ad dub. regul. ver. Novitius, numero 17.* Faustus in *Theaur. Relig. lib. 5. q. 213. & 214.* Corduba in *Regul. Minor. cap. 2. q. 2. & 11.* cum Miranda in *manuali Prelatorum tom. 1. quæst. 25. art. 1.2. concl. 1. & 2.* Sed ad diamus in hac re P. Suarez sic differentem de *Relig. tom. 3. lib. 4. cap. 3. num. 7.* Eximio ministros Religionis graviter peccate expellendo Novitium idoneum sine causa rationabili, vel quia abutuntur potestate iurisdictionis sibi concessa, ratione cuius ex officio tenentur, & bonum Religionis procurare, & quasi iustum iudicium ferre in causa. Videntur etiam mihi peccare contra charitatem respectu Novitii, quia privant illum magno bono, & grandi periculo exponunt. Quæ rationes non habent locum in ipso Novitio, quia disponere potest de seipso, non ut minister, aut dispensator, sed ut dominus, & potest cedere iuri suo. Ita Suarez.

3. Unde patet responso ad argumentum Sanchez, & Peregrini, est enim dispar ratio inter obligationem Novitii, & Religionis. Novitius enim secluso voto recedens absque villa causa ratione levitatis, peccat tantum venialiter, non enim peccat contra charitatem, eo quod inde non resultat nocuum alicuius momenti Religioni; nec etiam peccat contra iustitiam, aut fidelitatem, quia nihil promissit. At Religio, seu Religiosus negans absque iusta causa suffragium, peccat contra charitatem, ut probatum est, & peccat, quia abutitur potestate incorporandi Religioni, qua tenetur bonum Religionis procurare & iustum iudicium ferre. Ex quibus aperte constat in hac obligatione, quæ non est iustitiæ commutativæ, sed distributivæ, vel charitatis, non esse mutuan obligationem inter Novitium, & Religionem, ut supponit Sanchez.

4. Deinde probatur supradictos peccare mortaliter, nam communiter Doctores docent retrahentes quempiam sine iusta causa ab ingressu Religionis, lethale peccatum committere contra charitatem. Sed Religiosus, qui negat suffragium idoneo Novitio, non solum retrahit, sed illum expellit à Religionem; ergo peccatum mortale committit. Quod verò retrahentes aliquem à Religionem peccent, ut diximus, mortaliter, docent Portel in *dub. Regul. v. Religiosus, n. 13.* Peyrinus de *Relig. tom. 1. quæst. 1. c. 29.* Rebellius p. 1. lib. 4. q. 15. n. 5. Sylvius in 2. 2. *D. Th. q. 2. art. 2. quæstionum 1. concl. 1. & 2.* Lessius lib. 2. c. 8. dub. 13. num. 12. Layman in *Theol. moral. lib. 3. sect. 6. tract. 2. c. 8. n. 2.* Molina de *iustitia tom. 5. tract. 4. disp. 5. n. 2. v. secunda tero pars.* Villalobos in *summ. tom. 2. tract. 11. d. ff. 26. num. 1. & 2.*

5. Dicendum est igitur Religiosum negantem suffragium Novitio idoneo peccare mortaliter, quidquid asserat Peregr. opinionem Sanchez esse probabilem.

RESOL. CLXXIV.

An si quis absque causa neget Novitio Professionem, peccet mortaliter? Ex part. 7. tract. 1. 1. & Misc. 2. Resol. 26.

§. 1. Causa potest esse sæpe in praxi, & negatium sententiam post Sanchez, & alios docet notissime Caramuel in *Regul. D. Benca. disp. 40. concl. 20. numero 272.* vbi docet non peccare contra iustitiam illum qui sine causa Novitium reprobatur. Probatur; Quia annus probationis æquè concessitur Novitio, & Monasterio; Atque Novitius potest deserere Ordinem sibi convenientem, & aptum,

Tom. VII.

& hoc sine conscientia scrupulo; Ergo Ordo poterit sine scrupulo dimittere Novitium sibi convenientem, & aptum; Quia aliàs communitas esset peioris conditionis, quam particularis, quod est absurdum, cum illa semper debeat esse melioris conditionis.

2. Dices, Novitium sine causa non posse dimitti, quia illi fit magna iniuria: perdit enim opinionem suam si expellatur. Dico etiam, quod Religio non lucratur honorem, quando Novitius eam deserit & nihilominus eam potest Novitius relinquere, cum voluerit sine causa: ergo etiam non sibi fit causa aliqua, poterit eum Religio dimittere: quia in iis quæ à mera gratia pendunt, stat pro ratione voluntas. Præterea si ratio hæc esset efficacior alicuius, probaret Novitium non posse dimitti etiam cum causa. Quoniam plus opinionis perdit quando ob causam aliquam dimittitur; & si cum subest causa, Communitas vitur iure suo, & directè non nocet Novitio, sed solum indirectè: sic similiter, quando causa non subest, poterit Communitas vi sua libertate, & directè non nocere Novitio, sed indirectè. Ille enim qui vult posse spontè egredi, iniustus esset, si nollet posse spontè dimitti. Ergo si hoc supponitur antequam vestiatur, nemini fit iniuria; quia si hæc conditio non placet, aut non postulet habitum, aut polliceatur, se non esse egressurum sine causa: & tunc erit in beneficio probationis æqualitas; quia conditio inæqualis, non iusta, sed iniqua est. Confirmatur, Cum communitas admittit Novitium, se exponit periculo, quod possit deserere cum placuerit Novitio: ergo quando is vestiatur, debet supponere se posse expelli, dum placuerit communitati. Confirmatur secundo. Annus probationis conceditur, ut examinet Novitius, utrum ipsi Ordo placeat: Ergo sicut Novitio ad credendum ratio est sufficiens, quod religio non placet, etiam Ordini erit æquè sufficiens ad dimittendum, quod Novitius non placet. Ergo manet liquidum, illum nihil contra iustitiam facere, qui convenientem Novitium reprobatur.

3. Possit videri contra charitatem procedere, si non esset alius Ordo, aut Monasterium, in quo talis Novitius possit esse æquè Sanctus: quia sicut non tenetur Communitas omnes desiderantes vestire, sic nec omnes vestitos conservare. Et si ratio, quam præoccupatio esset efficacior, probaret, nemini posse habitum Ordinis negari. Quia etiam possit dici Communitas esse in causa, quod talis non sit Religiosus, dum aptum, & habilem non vestit. Quando Communitas, aut Abbas dimittit aliquem vestitum, vitur sua autoritate quæ est libera, & Novitio non subest: ipsi aditus non præcluditur ad Religionem; sunt enim & alia Monasteria, & Ordines. Hucusque Caramuel.

4. Sed me citato mordicus affirmativum sententiam tuetur Cardin. de Logo de *iust. & iure tom. 1. d. spntat. 9. sectio. e. 3. in Append. numero 54. & seqq.* vbi late probat ex obligatione charitatis & iustitiæ, non posse Regulares expellere Novitium à Religionem, absque iusta causa. Et ad principale fundamentum negativæ sententiæ respondetur, quod licet Novitius possit absque gravi peccato ex levitate discedere: non tamen posse ex levitate dimitti aliæque causa: nec hoc est contra æqualitatem ex utraque parte, imò si possit, id esset maxime contra æqualitatem huius quasi contractus: quia Religio, possit absque causa maximam notam Novitio in re eum dimittendo; Novitius autem non potest ex eundo talem notam Religionem iniurere: non enim imputatur dedecori Religionem, quod aliqui Novitii retrocedant, sed ipsimet Novitius, qui persequere non potuerunt. Aliunde verò illa maior li-

K 3 bertas,

bertas, quam Novitius habet exeundi absque causa, compensatur per hoc, quod ipse etiam anticipata quasi solutione plus contulit ex parte sua ingrediendo Religionem cum periculo subeundi non mediocrem notam, si cum causa (pro-ut sæpè fit) dimitteretur, cui periculo Religio non se exposuit, quia siue retineat, quia bonus est, siue dimittat, quia minus est aptus, nullum damnum subit: plus ergo fecit Novitius intrando, quam Religio eum recipiendo; atque idè non mirum, quod plus libertatis retineat ad exeundum quam Religio ad dimittendum; quia Religio obligata manet ratione illius, quod accepit à Novitio, hic autem non accepit adhuc aliquid à Religione, ob quod debeat ex iustitia obligari ad perseuerandum. Ergo, &c. Et nostram sententiam præter Cardinalem Lugo, contra amicissimum Caramuelem tenet etiam Sanctiorius in *constitut. Minor. c. 2. stat. 20. quest. 4.* vbi doctè nostram sententiam firmat, & citat Lezanam, Peyrinum, & alios.

RESOL. CLXXV.

An aliquis dubitans, si Monasterio expediat admittere Novitium ad professionem, possit illum reprobare? Et an in tali casu dubitans astringatur ad veritatem inquirendam, antequam suffragium ferat? Ex p. 10. tr. 1. 2. & Misc. 2. Ref. 44.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondet Caramuel in *Theol. Reg. cap. 60. numer. 470.* quia in dubiis debet præcedere maior obligatio, atqui erga Communitatem magis obligamur, quam erga Novitium: ergo debemus non exponere Communitatem periculo habendi vnum hominem disconuenientem. Minor est certa: quia Communitati debemus quidquid politicè sumus, & eam habemus loco matris, Novitio autem nihil debemus. Qui in dubio Novitium approbat, est sui Monasterij degener filius. Quomodo enim pius est ille filius, qui vltro suum Patrem ruinæ periculo exponit, cum possit illud auertere? Monasterium exponitur ruinæ, quoties discolor, & effrænalis aliquis iuuenis admittitur ad Professionem: vnus sufficit, vt turbentur plurimi, vnus vt pax occidat, & iurgia pessima nascantur. Non admittatur igitur ille, de quo dubitamus an Monasterio scandalo futurus sit. Cur prima die Novitius non admittatur ad Professionem? idè profectò, quia ante probationem non scimus vtrum expediat, an non. Ergo si id post annum nondum sciamus: vel in Novitiatu remaneat, quo vsque dubium decidatur, vel saltem dimittatur; iniurius enim & suo Monasterio, & sibi ille est, qui illum Religioni incorporat, qui turbaturus est totam Communitatem. Dixi, quod in Novitiatu maneat, quoniam Tridentinum Concilium, aliæque quæ iubent Novitios post annum, aut admitti, aut dimitti, supponunt nulla dubia dari: hæc enim non resolutionem postulant, sed examen, quod sine tempore fieri non potest. Sanè de Novitiis sæculares Doctores sæpè scribunt, sed cæcè: non enim sciunt quantum damni pati soleat Communitas ab vnus insolentia. Ergo sicut dubitans vtrum sit venenum in scypho, non bibes; sic à fortiori non admittes illum, de quo dubitas. Si dimittitur, nemini fit iniuria, & remanet securum Monasterium: in admissione esse poterunt inconuenientia. Ita Caramuel.

2. Sed nouissimè aduersus illum insurgit Pater Bardi, de *Conscien. disc. 6. capite 9. §. 38. numero 2.* asserens, non posse absque iniustitia à Religioso solum dubitante de habilitate Novitij fieri suffragium, per quod posituè reprobet Novitium illum, ne ad

Professionem admittatur. Probatur, quia suffragium continens mendacium grauiter perniciosum contra eum de quo agitur absque iniustitia fieri non potest: at tale est suffragium, per quod Religiosus dubitans de habilitate Novitij, illum à Professione posituè reprobat: ergo absque iniustitia fieri non potest: sola minor probatione indiget: maior enim, & consequentia sunt ex se manifestæ: probatur autem minor. Si suffragium reprobatiuum, ne quis obidiat dignitatem aliquam, gradum, &c. importat in eo, qui ipsum suffragium dat, iudicium, per quod iudicetur in persona reprobata reprobari defectum, seu impedimentum prohibens promotionem ad dignitatem, gradum, &c. Et hoc patet ex terminis. At in casu nostro suffragium illud contineret tale mendacium: ergo &c. Patet maior: minor autem huius vltimi argumenti offenditur, quia vt supponimus Religiosus ferens suffragium, non habet tale iudicium, cum supponatur solum dubitare de habilitate Novitij; igitur si fert si suffragium reprobatiuum contra Novitium, de cuius idoneitate ambigit, ferret suffragium continens mendacium grauiter perniciosum contra Novitium illum, de quo agitur.

3. Nota tamen, quod in tali casu dubitans astringitur ad veritatem inquirendam, antequam suffragium ferat, & ita debet diligenter inuestigare conditiones, & qualitates illius Novitij, quæ sunt materia, de qua dandum est suffragium, & suspendere interim sententiam, ne temerè proferratur, vel denique si tempus id non permittat, debet Religiosus sub dubio, siue in scriptis siue in voce proprium sensum alius, qui suffragantur, aut Superiorum cum sinceritate manifestare.

Sed ego quinam sententiæ magis adharream, in hac quæstione non explanabo, cum inter se videam discordes duos viros doctissimos, & amicissimos; solum asseram vtramque sententiam esse probabilem.

RESOL. CLXXVI.

Quidam expleto anno Novitiatus sui à Capitulo Monasterij admissus ad professionem, quam ex leuissima causa distulit emitte ad sex menses, sed postea causa quæsiuit à me, an fuerit valida?

Et notatur, quod post annum probationis expletum licet Superiori differre professionem Novitij ob istam causam, non obstante Concilij Tridentini Decreto.

Et quid in supradicto casu de Monialibus? Ex p. 3. tr. 2. Ref. 128.

§. 1. **V**idebatur ob stare Concilium Tridentinum, sess. 25. cap. 16. de *Regul.* vbi præcipitur, quod finito anno probationis Novitius statim ad professionem admittatur, aut expellatur.

2. Sed de hoc casu, vt dixi, interrogatus dictam professionem fuisse validam respondi: primo, quia Concilium ibi præcipit tantum, vt professio emittatur post annum probationis, sed illam non annullat, si efficiatur post dictum tempus, ergo, &c. Addo quod, vt rectè docet nouissimè Cætrus Palus in *opere morali, tom. 1. tract. 3. disp. 2. punct. 9. num. 8.* Suarez de *legib. lib. 5. cap. 15. num. 10.* & alij, quando statutum mandat fieri aliquid certo tempore, vt est in casu nostro, actus contra factus non est nullus, quia tunc non intelligitur circumstantia temporis, vt forma apposita & ideo circa validitatem supradictæ professionis etiam affirmatiuè responderunt aliqui Theologi Societatis Iesv, & nostræ Religionis de hoc casu tunc interrogati.